



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 134. Angeli Politiani extrema

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sacri. XV.  
A. C. 1494.

## §. CXXXIV.

*Angeli Politiani extrema.*

*Volat. l. 21.*

*Vossius de*

*hiſ lat. l. 3.*

*c. 8.*

*Paul. Jov.*

*in elog.*

Angelus Politianus Joannis Pici, cuius individuus studiorum socius erat, obitum unico bimestri præcessit, fatis functus anno ætatis suæ quadragesimo. Nomen illi erat Angelus Bassi, a Monte Politiano, exiguo Hetruriæ oppido, quod Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto natale solum acceperebat, Politianus cognominatus. Vir erat inter doctissimos, quos Italia sæculo decimo quinto ad finem vergente produxerat, facile princeps, Græci atque latini idiomatis longe peritissimus, quas literas Florentiæ undecim omnino annis publice tradebat; ipse vero olim Magistrum habebat Androsicum Theffalonicensem scientiarum laude nominatissimum. Laurentius Medicæus, cum undique Viros ætate sua doctissimos Florentiam acceriset, Angelum quoque Bassi jam tum Sacerdotem suo consortio dignabatur, ejusque beneficio Angelus Canonicatum adeptus, demum etiam Laurentii liborum institutor fuit, inter quos præcipue eminuit Joannes, qui postea ad summos Pontificatus apices evectus, nomen Leonis X. assumpsit. Politianus hoc mune-

re

refunctus, optata tranquilitate, ac sine tæ- Sæcul. XV.  
dio dies suos transigebat, & Virorum li- A.C. 1494.  
teratorum commercio liberaliter indul-  
gens, latinas epistolas, ac carmina in-  
genti felicitate conscribebat, quæ hodie-  
dum ab eruditis magno encomio cele-  
brantur: Præterea Herodianum latine  
reddidit: Ast Petri Medicæi indignatio,  
quam haud obscure præsenserat, tam  
anxiis curis animum ejus excruiciabat,  
ut tædio confessus, duobus ferme ante  
Picum Mirandulanum mensibus obierit:  
Nec tamen Politianus mordaces Floren-  
tinorum calamus penitus effugere pote-  
rat; cum enim hi depulsis Medicæis in  
omnes huic Ducali familiæ addictos irri-  
soria vulgarent carmina, nec Politianum  
intactum relinquebant,

### §. CXXXV.

#### *Bernardini Tomitani fata.*

Bernardinus Tomitanus cognomento Jacob. Phil.  
Parvus Feltriæ in ditione Veneta na- Tomasini L.  
tus, Ordinis S. Francisci alumnus, hoc an- part. eleg.  
no die vigesima octava Septembris Fa- dott. Vir.  
piæ (\*) vivis eruptus est. Scripsit quos-  
dam

(\*) Apud alios Scriptores legitur Pa-  
tavii.